

05

A

713





8

D. O. M. A.

Exercitationum Theologicarum
DISPUTATIO VII.

In qua

VI. Problema Theologicum, idq;

DE CAUSA PECCATI

*Ad trutinam Veritatis Caelestis expendendum
exhibetur,*

In Inclyta Academia VVitebergensi,

Auctore & Praeside

IOHANN E FÖRSTERO,

S S. Theol. D. & Prof. Publ.

Partes verò Respondentis tenente & tuente

M. HENRICO - JULIO STRUBIO

Henricopolitano Sax. Poëtâ Laur.

Ad diem 21. Ian. horis locoq; consuetis

Psal. V.

לֹא אֱלֹהִים חָסַף רָשָׁע אֶתְהוֹלָה יַגִּיד בָּעַ :

VVITTEBERGÆ

Typis Cratonianis, per Iohan. Gorman.

Anno M. DC. IX.

VIRIS

Eximia nobilitate, praclaro item Majorum

*propriaque virtutis, doctrina, rerum variarum
usus, & magnae autoritatis
encomio*

Præstantissimis, celebratissimis,

Dn. BURCHARDO

Dn. JACOBO

&

Dn. HENRICO

Fratribus à SALDER
BURCHARDI p. m. fil.

*In Equort/ Bze/ Netlingen/ Henneferoda/
Hera/ &c. hereditarijs:*

*Dominis Fautoribus ac Patronis suis,
multis nominibus honorandis.*




*Exercitium hoc Theologicum in grati animi obliga-
tionem sui que commendationem stre-
na loco*

Offert
Dicat
Confecrat

05 A 713

*H*uc, precor, huc placidas, PATRONI, advertite mentes,
Theologamque hilari sumite fronte dapem.
Et velut obsequium, velut officiosa voluntas
Caelestem magè quam victima pacat herum:
Sic humilem spectate animum; sic vestra, PATRONI,
Gratia sub roseo depluet imbremihi.
O mihi dum talem fas sit sperare favorem,
Ipse rubri malim non spoliis omne maris.

M. Henric-Julius Strubius.



Problema.

An DEUS sit causa efficaciter operans
& procreans peccatum.

Exordium Disputationis.

Thesis I.

Droximam de Prædestinatione Disputationem excipere jam debebat, pertractatio articuli de Creatione.

II.

Et rectè quidem, idq; geminam hanc ob causam:

III.

1. Sicut Prædestinatio est opus Dei *æternum*, in quo Ipse
(a) *ὡς οὐκ ὄντων ἀπερὸς τὸν, προκαταβολῆς κόσμου*, ab æterno fuit occupatus: ita Creatio est opus Ipsius *temporale*, idq; omnium *primum*, per quod, ἐκ τῆς φωτὸς ἀπερὸς τῆς progressus, sese revelavit.

(a) 1. Tim. 6, v. 16.

IV.

Quæ quoq; inter alias causa est, quòd ἡ κοσμοποίησις, ut Character quidam externus, primæ Personæ Trinitatis, P A T R I videlicet, in Symbolo Apostolico, assignatur.

V.

2. Creatio humani generis primus quasi gradus est & ve-

A 2

lut

lut centrum eorum, quæ ambitu & complexu suo Præde-
stinationis circulus continet.

V I.

Hæc enim illam necessario præsupponit, & sine illa lo-
cum non habet ullum.

V I I.

Quia verò locus de Creatione hodiè non est admo-
dum controversus, exceptâ controversiâ illâ nobili & illu-
stri, de origine animæ: ideò peculiari illius *ἐξέτασι* consultò
superfedebimus.

V I I I.

Progredientes igitur indè paulò altiùs: statim perveni-
mus ad peccatum.

I X.

Quod quia in prima *παγγελία* non fuit simul creatum:
(Omnia enim quæ fecerat D E V S ברוך ה' extitisse præ-
dicantur, à Mose Gen. 1.) quæstio oritur summi ponderis
& momenti: *de Causa & origine peccati in homine.*

X.

Cum enim constet hominem primitus ad imaginem
D E I fuisse conditum in perfecta justitia & sanctitate: unde
(proh dolor!) illa in humana natura tam horribilis *ἀπειρία,*
ἐκασααία, ζυγομαχία;

X I.

Quod, ut *ἀκριβέστερον καὶ σαφέστερον* intelligatur: hanc uti-
que quæstionem *ἐν τῷ παρόντι* breviter discutere libet lubetq;
in quinque hisce capitibus methodo nobis consueta ac fami-
liari.

X I I.

In Quorum I. *τὴν ἀεὶ διοριζόμενα* prælibabimus.

In II. *Statum controversiæ* formabimus.

In III. *Thesin verae sententiæ* confirmabimus.

In IV. *Antithesin falsæ opinionis* refutabimus.

In V. *Ad Adversariorum Sophismata* respondebimus.

DIS.

Discussio Problematis

I. CAPUT.

Τὰ περὶ διοριζόμενα:

XIII.

Quorum hæc duo 1. Definitio peccati ὀνοματώδης καὶ εἰσιώδης: 2. Divisio eiusdem.

XIV.

In Definitione ὀνοματώδῃ evolvenda sunt Nominis istius σιωάνυμα ex linguis Cardinalibus, cum sua cuiusq; ἐτυμολογία.

XV.

In *Græca lingua* peccatum dicitur ἀμαρτία vel ἀμάρτημα ἀπὸ τῆς ἀμαρτάνειν, quod est interprete Damasceno ἀσκοποποιέειν seu τῆς σκοπῆς ἀποτυγχάνειν, id est, juxta Ciceronem transire lineas, inter quas continere te debebas.

XVI.

Peccatum igitur est τὸ ἀκρόπως γινόμενον, sicq; dicitur respectu Legis Divinæ, quæ vitæ nostræ scopus esse debet, unde etiam apud Hebræos nomen חַטָּאת accepit.

XVII.

In lingua sancta varia sunt vocabula, non tamen omnino synonyma.]

XVIII.

I. חַטָּאת nomen est generale, & cognatione alludit ad nomen חַיִל filium. Qui enim peccat a filo & ductu Legis Divinæ aberrat; & viceversa.

XIX.

II. Reliqua vocabula magis sunt specialia: ut sunt:

1. חַטְאָת אִינוּמִיָּה vel ἀδικία iniquitas; Lutherus vertit. *Missethat*. Notatur eo ferè peccatum originale.

A 3

2. חַטְאָת

2. ὕψῃ transgressio Lutherus interpretatus est *Über-
tretung*. Et sic dicitur peccatum actuale.

3. ἡνὸν erratum *Sünde*. Accipitur de peccato leviori
non regnante, & veniali.

4. ὀψὴ πλημέλημα *Schuld/Schand-Laster*/id est, pec-
catum atrox & mortale.

XX.

Germanicum Sünd/ἀπὸ τῶν οἰνεῶν quidam deducunt: sed
rectius à *Sünden*/propter adjunctum peccati, quod est expi-
atio.

XXI.

Definitio
peccati.
ἁμαρτία.

Definitio peccati ἁμαρτίας brevis quidem & μονόφωνος;
sed admodum nervosa & ἀκριβής traditur à Iohanne 1. ep.
c. 3. qua definitur ἀνομία, id est, legis Divinae transgressio, in-
terprete Ambrosio.

XXII.

Augustini definitio vulgò nota est: *Peccatum est di-
ctum vel factum, vel concupitum, vel cogitatum contra legem
DEI*.

XXIII.

Divisiones
peccati.

Divisiones eiusdem constitui possunt & solent variae:
primariae earum ac classicae sunt:

XXIV.

1. Divisio.

I. In Originale & Actuale.

XXV.

Originale sic dicitur duplici respectu: 1. respectu *Ada-
mi*, à quo, tanquam prima generis humani origine, in nos o-
mnes hereditario jure derivatur.

XXVI.

2. *Respectu nostrorum Parentum*, à quibus ut vitæ: ita et-
iam peccati originem, primo originis momento, accipimus.

XXVII.

A Tertulliano vocatur mali tradux, ab Ambrosio, Aus-
gustino, Thoma & Luthero peccatum naturale & Personale,
quan-

quandoquidem naturam ipsam & personam ipsam horribi-
liter contaminârit.

XXVIII.

Et ut iusticia originalis nō fuit ipsa substantia hominis, seu
ipse homo, per se ratione substantiæ consideratus, sicut (c) Fla-
cius fabulatur: sed totius substantiæ hominis, secundum ani-
mam & corpus, summa perfectio: ita quoq; peccatum ori-
ginis non est ipsa hominis substantia, sed summa totius sub-
stantiæ hominis quâ corpus quâ animam summa corruptio,
adeoq; accidens, non quidem separabile in hac vita: sed inse-
parabile.

(c) *In libello cui titulus est Demonstrationes*
pag. 18. Basil. editionis.

XXIX.

Sicut in (d) libro Christianæ Concordiæ ex articulis
Creationis, Incarnationis, Baptismi & Resurrectionis solidif-
simè demonstratur.

(d) *art. 1. qui est de peccato originis.*

XXX.

Actuale sic denominatur à ποιῆν Ioh. 8, 34. ἀκατεργάζο-
μαι καὶ ἐνεργεῖν, Rom. 7. v. 5, 8, 14, 17, 20. ἐργάζεσθαι Iac. 2, 9.

XXXI.

Et distinguitur ab originali, ut fructus ab arbore, vel ra-
mi à radice, vel ut Concupiscentia τικτῶσα καὶ ἀπολεθεῖσα à
concupiscentia συλλαβῶσα, Matth. 15, 19. Gal. 5, 19. Iacob. 1,
vers. 15.

XXXII.

II. Divisio peccati classica est: in *Mortale & Veniale.*

.. *Divisa*

XXXIII.

Sed hæc à Scholasticis contra Scripturam est introducta.

XXXIV.

Nullum enim peccatum suapte naturâ est veniale: sed
ad unum omnia damnabilia, etiam minimum quodq;.

Deut. 28, 26. Rom. 5.

Omne

XXXV.

Omne tamen peccatum veniale dici potest ac debet, excepto solo peccato in Spiritum sanctum, quod per accidens irremissibile est, & dicitur Matth. 12, 31. respectu infinitatis tum misericordiae Dei, tum meriti Christi, de qua

Psal. 103, 15. Esa. 53, 6. Rom. 5, 20. Titum. 2, 14. 1. Ioh. 18, & c. 2. 2.

XXXVI.

Vnde Augustinus admodum eleganter:

(e) Nemo ob sui peccati dimissionem desperet, quoniam illi veniam meruerunt, qui Christum occiderunt.

(f) Item: Sanguis Christi sic in remissionem peccatorum omnium fusus est, ut ipsum etiam peccatum possit delere per quod fusus.

(e) tract. 31. in Ioh.

(f) tract. 92. in Ioh.

XXXVII.

s. Divisio. III. *διχονομία* est Apostoli in *Regnans & non Regnans.* Rom, 6.

XXXVIII.

Regnans dicitur, in quo regnat Caro & vincitur Spiritus: *Non Regnans*, in quo caro tandem domatur & vincitur à Spiritu, estq; quodammodo involuntarium vel certe *ἐκ ἐκείνων*, Rom. 7, v. 19.

XXXIX.

Atq; haec definitio Peccati Duplex, & Divisio eiusdem triplex *ὡς ἐν ἀποθεωσίᾳ*

XI.

Hic verò *ἡρῆκῶς καὶ συγκεχυμένως* de Peccati origine differimus, & unde illud existat, quarimus.

CAPUT II.

Status Controversiae.

Sed

XL I.

Sed ut de istius quaestionis statu & scopo, adhuc exactius constet: notum sanè est: non unam sed plures de peccato agitari controversias: sed hîc, de peccati origine & causa disceptari, idq; non ut pœnam considerari: sed per se, quale est in sua natura, tenendum.

XL II.

Extra aleam igitur huius Disputationis positum est: Deū ^{ἀφαιρέσει} permittere peccatum, eoq; sæpenumero antegressam hominum ^{οὐκ ἔστι μὴ} impietatem, ut justum iudicem, vindicare, traditis ^{ἐν τῷ} fractis Verbi sui contemtoribus Satanae, veluti carnifici & ^{κτενεύει} executori iudiciorum DEI.

Psal. 109, 6. Psal. 35, 5.

XL III.

Non enim DEUS est ociosus spectator peccati, qui nuda permissione Creaturam ferri sinat; sed agit partes iudicis decernendo, quinaam homines illo supplicio digni sint.

XL IV.

Et hoc respectu (quod diligenter observandum) Lutherus de seruo arbitrio contra Erasmus tantoperè exagitat Pelagianos, Papistas & Synergistas (qualis etiam erat Erasmus) cum interpretationibus dictorum Scripturæ, de induratione & similibus, de nuda permissione & tolerantia.

XL V.

Quæ licèt ex Patribus Origene præsertim, Hieronymo & Augustino desumptæ & secundum quid veræ sint: à Luthero tamen exploduntur, ideo, quòd vim ^{φράσεως} sacrae Scripturæ, hoc in negotio, sufficienter non exprimant.

XL VI.

Sed, his extra litem positis, jam propriè quaeritur: ^{θεός ἔστι} An DEUS ipse causa sit efficaciter operans & procreans ^{καταμύχων} peccatum.

B

Negans

XLVII.

Negantem partem nos tenemus & tuemur: In aiente propaganda & propugnanda occupantur Adversarij.

XLVIII.

Negantis partis, quæ nostra est, sententiam, brevi & rotundo hoc Aphorismo Confessio Augustana (a) verè augusta complectitur:

Ἐξήγησις
veræ sententiae
vel partis
negantis: ex
Augustana
Confessione.

(a) art. XIX.

XLIX.

Docent de causa Peccati (Ecclesiae scilicet Protestantium) quòd tamesi DEVS creat & conservat Naturam, tamen causa peccati est voluntas malorum, videlicet Diaboli & impiorum, quæ non adjuvante DEO avertit se à DEO, sicut Christus ait Ioh. 8.

Cum loquitur peccatum, ex seipso loquitur.

L.

Duo sunt, quæ in hoc articulo traduntur. I. Ponitur ἀφαιρέσις & μὴ αἰτία concedendo quidem Deum naturam creasse & creatam conservare: negando autem Eum esse causam peccati.

LI.

Et rectè quidem. Hæc enim hypothesis, vel principium potius Theologiæ verè ἀρχιτεκτονικόν, sacrae instar anchoræ, in mari hoc fluctuoso & Syrtium periculosarum plenissimo firmiter tenendum:

DEVM nec creasse, nec præcepisse, nec velle, nec approbare, nec operari peccatum in ullo homine ullo modo motu-ve.

LII.

II. Subjicitur θεοῖς ἢ ὄντων αἰτίων, quorum II. Impellens & Consentiens ut Augustini Phrasi utamur, vel ut Logici loquuntur Causa Impultrix & Administra vel prima & secunda, vel ἔξαρχὸς καὶ συνεργός.

ἔξαρχ.

LIII. *Ἐξαρξ* *ἡ* telæ peccati est *ὁ δὲ χειρονηγός* Satanás videlicet,
qui est *αὐτὴν αὐτὴν* *ἡ*, id est. peccat um ex se habet. Ioh. 8.44.

LIV.

Causa *αὐτοεργός*, vel administra est Voluntas hominis,
cui Diabolus primitus peccatum inspiravit, & adhuc inspi-
rare non cessat.

LV.

Quomodo verò? Sicut *ἡ χειρονηγία* nostram aggressus est
ἡ *ἔσωθεν* sensibus externis obijciendo pomum: *ἡ* *ἔσωθεν* cogi-
tationibus & affectibus impijs & pravis: ita adhuc hominem
genuino hoc modo oppugnat.

LVI.

I. *ἡ* *ἔσωθεν* sensibus offert objecta, quibus maximè affici-
untur.

LVII.

ἡ *ἔσωθεν* verò in corde pravas cogitationes & affectus vi-
tiosos excitat, ijsque homines ad peccandum incitat & invi-
tat.

LIX.

Hæ nimirum technæ sunt illius *μυριότηχως* O uti-
nam, utinam inquam, adverteremus & averteremus illas.

LIX.

Tantum de parte Negante: *Agentis partis* Patroni sunt, *Falsæ opini-
onis Patroni.*
ut dictum, adversarij, qui in hoc omnes tacita quadam con-
spiratione conveniunt: quod culpam peccati in ipsum De-
um transferunt.

LX.

Duo eorum sunt genera maximè primaria & summa:
altero *Philosophi* extra Ecclesiam altero *Heretici* intra Ec-
clesiam continentur.

LXI.

E *Philosophorum* familia impiam hanc opinionem amplexi
sunt

B 2

sunt Stoici, qui fatui & factuosi illius Fati inventores & Patroni, quo omnia Peccata etiam, necessario fieri contendunt.

Cic. de fato & lib. 2. de Divin.

Gell. lib 6. c. 2.

August. de civitate Dei c. 8. 10. & 11.

LXII.

Heretici vicissim duplices sunt: Quidam ante, Quidam post Nativitatem CHRISTI sunt orti.

LXIII.

Ante Nativitatem Christi, extiterunt ij, contra quos pugnat Syracides: Ne dicas, inquit, per Deum defeci, ipse me ἐπλαίησεν. c. 15. v. 11. 12.

LXIV.

Post Christi Nativitatem qui repullularunt, in duplici iterum sunt differentia. Quosdam tempore Apostolorum fuisse colligitur ex ep. Iac. c. 1. 13. Quidam à tempore Apostolorum Ecclesiam turbârunt.

LXV.

Et hi partim sunt veteres, partim recentes.

LXVI.

Veterum fuerunt V. potissimum ordines: Et 1. quidem Valentinianorum asserentium Divina necessitate vim quandam homini fieri, quando scelera perpetrat. Iren. l. 4. c. 47. 48.

LXVII.

2. Marcionitarum qui duos Deos bonum & malum fingebant, de quibus Epiphanius lib. 1. tom. 3. har. 42.

LXVIII.

3. Hermogenis, qui duplicem ab æterno extitisse materiam fabulatus est, alteram bonam, alteram malam, unde etiam materialium hæreticus à Tertulliano dictus.

III. Cent. Magd. f. 103. 104. 105.

LXIX.

4. Manichæorum, qui hos errores omnes in unum chaos monstruosum confundentes, finxerunt duo principia inter se diversa atq; adversa, eademq; coæterna, seu duos Deos unum bonum, alterum malum: Illi Ἐσπερος, huic Ἐσπίος τῆς ὑλῆς καὶ Ἐχάε nomen tribuerunt. Cent. III, Magd. f. III. 113.

LXX.

s. *Prædestinatorum*, qui sic dicti, quia de Prædestinatione & Divina gratia disputantes assererent, quod nec piè viventibus profuit bonorum operum labor, si à Deo ad mortem prædestinati fuerint; nec impijs obfit, quod impiè vivant, si à Deo prædestinati sint ad vitam.

Cent. V. Magd. f. 620.

LXXI.

Heretici recentes, qui delirium istud ex orco in Ecclesiam revocârunt: sunt libertini & eorum tribules Zvvinglii Calviniani, qui in duas vicissim sectas divisi.

LXXII.

Prima est eorum, qui re & verbis fatentur Deum esse autorem & causam efficientem peccati, ut sunt:

Zvvinglius de provid. c. 5. *Per Dei creaturam INIUSTITIÆ exemplum produxit, NON quasi creatura illam suo MARTÈ produxerit: sed quod NVMEN IPSVM (id est Deus) AVTOR est Eius, quod in nobis INIUSTITIA, id est Peccatum. &c.*

Martinus Bucerus, qui in 1. cap. Epist. ad Romanos ita commentatur:

Si quis videat Cæcum impingentem, nec posse non cadere, si ei suam manum non porrigat, nolit autem ille manum suam cæco præbere, & patiatureum cadere: obsecro quis non dicat eum causam cæci huius voluisse, eiusq; fuisse causam? Iam DEVS hoc AMPLIVS mei PECCATI CAUSA est, quam ille, qui negat cæco ducatum, causa est, ut cadat cæcus; quod Deus, in utero matris meæ, me in hac perversitate ingenij mei atq; peccandi necessitate condidit.

Petrus Martyr supra c. 1. ad Rom. scribit:

Non possumus inficiari Deum quoquo modo esse causam peccati.

Calvinus lib. 1. Instit. c. 7. §. 11.

B 3

VI

Ut Domini est illorum (Diaboli & impiorum) furorem armare & convertere, destinareq; quò libuerit.

Stephanus Zechedinus in L. c. pag. 33. scribit:
Deum mala agere relinquendo, non apponendo gratiam, occasionaliter, pœnaliter, producendo nostras actiones, gubernando (NB) effectivè non permissivè tantùm.

Piscator in præfatione disputationis de Prædest. pag. 8.
Sanctè, inquit, ad flagitia impellit DEVS, ut flagitia flagitijs puniat.

LXXIII.

Secundam Zwinglio - Calvinianorum sectam constituunt vani & profani illi Disputatores, qui peccati causam non quidem directè, obliquè tamen & per necessariam consecutionem ad DEVM referre non verentur.

LXXIV.

I. Quia Deum faciunt causam omnium rerum absolutè, sine omni distinctione boni & mali:

Hyperius lib. 1. p. 259.

Qualiacunq; sunt, quæ fiunt, OMNIA DEI ABSOLVTA NECESSITATE, necessariò fiunt.

Grynæus in Thes. Orthod. Fidei clal. 1. l. 15. th. 1.

DEVS, inquit, ενεργει, id est, efficaciter agit seu efficit OMNIA secundum consilium Voluntatis suæ.

LXXV.

2. Quia docent DEVM esse causam efficientem indurationis, seductionis, &c.

Petrus Martyr super c. 9. ad Romanos:

Induratio est effectum iræ & ultionis Divina, sive immediatè per DEVM sive per Diabolum, sive per hominem exercetur.

Calvinus l. 1. Inst. c. 18.

Dicitur quidem Sathan excacare infidelium mentes, sed unde hoc, nisi quod à DEO ipso manat efficacia erroris?

Item.

Item: *Et certè nisi intus OPERARETVR (DEUS) in mentibus hominum non rectè dictum esset auferre labium à veracibus, &c.*

LXXVI.

3. Quia statuunt peccata DEI voluntate, & decreto fieri eoq; absoluto & immutabili.

Calvinus l. 3. inst. c. 23. §. 7. *Iterum quero, unde factum est, ut tot gentes una cum liberis eorum infantibus aeternæ morti involveret lapsus Adæ absq; remedio, nisi quia Deo ita visum est? Hic obmutescere oportet, tam dicaces alioqui linguas. Decretum quidem horribile, fateor: inficiari tamen nemo poterit, quin præsciverit DEVS quem exitum esset habiturus homo, antequam ipsum conderet, & ideò præsciverit, quia DECRETO SVO sic ordinârit. Et §. 8. Lapsus est primus homo, quia Dominus ita EXPEDIKE CENSVERAT, cur censuerit nos latet:*

Et paulò post: *Cadit igitur homo, DEI providentia sic ordinante*

Beza in Colloq. Momp. pag. 525. *OPORTVIT Hevã per Serpentem persuaderi, ut legem transgredereetur.*

Item: *Non temerè cecidit homo: sed ex providentia DEI.*

Quia evenire OPORVIT, quod DEVS decrevit.

Piscator in præf. disp. de Prædest. pag. 11. *Vi consilij DEI, fieri aliter non poterat quin peccarent primi homines.*

Spindlerus in seinem sehr nötigen Bericht/pag. 451. *Wie nun eine Ungleichheit erscheinet in allem Geschöpf Gottes/ Also ist auch eine Ungleichheit vnter den Leuten/nicht allein also; das einer reich ist / der ander arm / einer gesundt / der ander Franck / sondern das etliche from vnd Gottsfürchtig sind / vnd sich nach Gottes willen richten / die andern Gottloß / böß vnd verferth / vnd wider Gottes Gebot sündigen / vnd solches alles (NB) durch Gottes Anordnung.*

4. Quia

LXXVII.

4. Quia tradunt DEUM quoscunq; libuerit ad interitum condidisse, imò (horresco referens) ad causas etiam æterni istius interitus absoluto decreto prædestinasse.

Beza in colloq. Mompelg. f. 532.

Quapropter non est, quod miremur, Deum aliquos in miseria sua, occultè & arcano ipsius consilio reliquisse, quos eterno suo, sed iusto decreto, ad æternam damnationem creavit neq; unquam dilexit.

Et volumine primo pag. 417. Quod subijcis Deum non tantum ad damnationem, sed etiam ad causas damnationis prædestinasse quoscunq; libuit, verum quidem esse agnoscimus cum Paulo, qui vasa commemorat ad interitum compacta, sed eum quidem iustum, quoniam iustas ad exitium ferentes causas eodem decreto subordinavit.

LXXIIX.

E quibus omnibus facilè colligi & intelligi potest, Zvinglio Calvinianos Deum causam peccati constituere, licèt, id verbis identidem negare non erubescant.

LXXIX.

Sed redeundum est nobis ad veram & orthodoxam Lutheranorum sententiam, quæ in capite huius Disputationis tertio jam confirmanda.

CAPUT III.

Confirmatio veræ & sinceræ Do-

ctrinæ.

LXXX.

Summa eius, αἰαλεφαιαωδῶς εἰπεῖν, est: Non Deum: sed Diabolum & Voluntatem hominis pravam causam esse peccati.

Utrum-

LXXXI.

Vtrumque tum dictis scripturæ tum exemplis breviter quidem : sed solidè confirmabimus.

LXXXII.

De Diabolo maximè ἀξιόλογα καὶ ἀξιωματικὰ sunt hæc scripturæ dicta.

1. De Diabolo.
1. dicta

1. Ex V.T.

Sap. 2. Invidia DIABOLI mors introivit in mundum.

2. Ex N.T.

Ioh. 8. Ille (scilicet Diabolus) fuit homicida ab initio & in veritate non stetit, quia non veritas in eo. Cum loquitur mendacium: ex PROPRIIS loquitur, quia mendax est, atq; eius rei PATER.

2. Cor. 4. DEVS HVIVS SECVLI EXCOECAT mentes infidelibus.

Ephel. 2. SPIRITVS nunc agit, (ἐνεργεῖ) ἐν υἱοῖς ἀπειθείας.

1. Ioh. 2. Concupiscentia Carnis & concupiscentia oculorum & superbia vitæ, NON est ex PATRE: sed ex MVNDO.

1. Ioh. 3. Qui facit peccatum, ex DIABOLO est.

LXXXIII.

Atq; hinc est quod peccata dicuntur opera Diaboli, 1. Ioh. c. 3, 8. & כּוּשׁוּבֵי תַמָּה Psal. 140, 3.

LXXXIV.

Exempla sunt vel primum, vel à primo orta.

1. Exempla.

LXXXV.

Primum describitur Gen. 3. ubi tota historia de μεθερσία & πανουργία Satana, qua δειχημητέρι nostræ peccatum persuasit, εἰσαπικῶς recitatur.

LXXXVI.

Exempla à primo hoc orta perstringuntur ab Apostolo,

C

2. Cor.



2. Cor. 11. (Metuò autem inquiens, ne qua fiat, ut quemadmodum Serpens Evam decepit verberia sua ita corrumpantur sensus vestri) suntq; passim obvia in theatro tum *Scripturae* tum *Experientiae*.

LXXXVII.

In illo maximè conspicua sunt, quæ habentur:

1. Chron. c. 22. *Ubi Satanias contra Israel surrexisset & Davidem incitasse ut populum numeraret, scribitur.*

Et 1. Reg. c. 22. *Vbi Spiritus iste immundus operam suam, D. E. O. ultrò offert, hæc ipsam voce alloquens:*

Egrediar & ero Spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius.

LXXXVIII.

In hoc, quotidie ferè videmus quòd tam atrociam scelera à multis signentur, à quibus aliàs natura abhorret, idque instinctu Satanæ, sicut ipsimet postea fatentur & quiritantur gravissimè.

LXXXIX.

Hæc de Diabolo. Dicta pravam hominis voluntatem

II.
De Hominis
Voluntate.
v. dicta.

ream causam peccati agentia, hæc sunt:

1. Ex V. T.

Syr. 25. *A muliere initium factum est peccati & per illam omnes morimur.*

Ose. 6. *Ipsi sicut Adam transgressi sunt pactum.*

Sap. 2. *Imitantur illum (scil. Diabolū), qui sunt ex parte illius.*

2. Ex N. T.

Rom. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum.*

1 Tim. 2, 14. *Mulier seducta obnoxia facta est transgressioni.*

Rom. 7. v. 23. *Video aliam legem in membris meis rebellantem legimentis mea.*

XC.

Atq; hinc peccata in Scriptura appellari consueverunt, *opera carnis* Gal. 5. v. 19. Item מַחְשַׁבּוֹת הַלֵּב, plasma cogitationum cordis humani, Gen. 6. v. 5.

Exem.

XC I.

Exempla idem comprobantia itidem duplicia sunt: pri-^o. Exempla enim & à primo orta.

XC II.

*Primum habetur Gen. 3. ubi *serpens* describitur, quomodo Protoplasti à Satana decepti & seducti, legem DEI transgressi, hacq; transgressione peccatum in mundum introduxerint.*

XC III.

Exempla à primo orta itidem obvia sunt passim in theatro tua Scriptura, tum Experientia.

XC IV.

*Scriptura testis est, quam horribiliter etiam sanctissimi quiq; ex innata carnis pravitate & imbecillitate, lapsi fuerint, ut *Aaron* Exod. 23. *Moses* Num. 11. *David* 2. Sam. 11. & 24. *Petrus Apostolus* Matth. 26. &c.*

XC V.

Experientia testis est etiam (f) justos in die cadere septies, & subinde quiritari cum Apostolo Rom. 7. Bonum quod volo non facio, malum quod non volo hoc ago.

(f) Prov. 24. 17.

XC VI.

Qui igitur stat, videat ne cadat, subinde ardentissimi me ingemiscens; Domine ne inducas nos in tentationem; siq; forsitan lapsus, per Christum illicò resurgat, & ad dignitatem in primo Adamo perditam, per hunc alterum Adamum recuperandam, suspiret.

XC VII.

Atq; hætenus confirmatio orthodoxæ Lutheranorum sententiæ, cui jam in quarto disputationis capite falsæ adversariorum opinionis refutatio succedit.

C 2

CAPUT

CAPUT IV.

Refutatio falsæ Adversariorum

opinionis.

XCIIIX.

Summa verò illius hæc est: *Deus vult, approbat, & operatur peccatum in hominibus, eosq. ad illud inclinat & impellit.*

XCIX.

Refutantur
Adversarij.

Argumenta, quibus horrendum istud delirium refutatur, sunt duplicia.

1. *Illustria Scriptura dicta, DEUM ab omni culpa peccati potentissimè vindicantia.*
2. *Rationes vel ἀποδείξεις ex immotis scripturæ fundamentis extractæ.*

C.

„ dictis
crips. qua-
druplisib.“

Dicta scriptura in quatuor classes vicissim distribui possunt.

CI.

1. *Quaedam ἁπλοῦς καὶ ὀλιγῶς peccatum in DEO prorsus negant:*

Exod. 23, 7. **AVERSOR IMPIVM, inquit IEHOVAH.**

Deut. 32. v. 4. *Deus fidelis & ABSQVE OMNI INIQUITATE.*

2. Paral. 19, 7. **NON EST apud Dominum Deum nostrum INIQUITAS.**

Hab. 1, 13. **MVNDI sunt OCVLITVI, Domine, ut NON cernas malum & videre iniquitatem NON possis.**

Soph. 3, 5. *Deus justus & in medio eius NON FACIET INIQUITATEM.*

Rom. 9, 14. **NVMQVID INIQUITAS apud Deum?**

2. Cor.

2. Cor. 6.14. *Quæ participatio IUSTITÆ CVM INI-
QVITATE qua societas LVCI ad tenebras?*

1. Ioh 1,5. *Deus LVX est & tenebra NON sunt in eo.*

Iac. 1,13. *Θεὸς ἀπέρας & ἴσι κακῶν.*

CII.

2. *Quædam eidiōs negant DEI circa peccatum volun-
tatem, ut*

Psal. 5,5. **NON** Deus **VOLENS INIQVITATEM**
tues.

El. 65, 12. *Faciebatis malum in oculis meis, & quod NON
VOLUI elegistis.*

CIII.

3. *Quædam negant DEI mandatum ut:*

Syr. 15, 21. **DEUS NEMINI MANDAVIT** *impiè
agere & Nemini DEDIT SPATIUM (ἀέρον) peccandi.*

CIV.

4. *Quædam econtrà tribuunt DEO abominationem
peccati, ut:*

Prov. 15, 26. **ABOMINATIO est Domino via impij:**

Zach. 8, 17. *Vnusquisq; malum contra amicum suum ne cogite-
tis in cordibus vestris, & iuramentum mendax ne diligatis: omnia
enim hæc sunt QVÆ ODI, dicit Dominus.*

Sap. 13. *Similiter ODIO sunt DEO impius & impietas.*

Syr. 15. v. 11. & 12. *Non dixeris; Propter DOMINVM (ἀπί-
σω) recessi à mandatis eius, quæ enim ODIT ne feceris. Non
dicas ipse me ἐπλάωσεν, non enim necessarij sunt ei homines impij.*

CV.

*Rationes vel ἀποδείξεις è scriptura extractæ sunt hæc sub-
sequentes numero quinq;:*

2. *Rationibus
v.*

CVI.

1. *Desumitur à natura DEI, qui ὄντως ἀποφύσας καὶ ἀν-
τιτελῶς bonus, vel potius ἀπαίγαθός.*

C 3

Psal.

Pfal. 118. v. 1, 29. & 119. 68. Matth. 19. v. 17. Marc. 10. v. 18.
Luc. 18. v. 19. 1. Joh. 1. v. 5. Iacob. 1. v. 27.

CVII.

II. *A lege Divina, quæ ostendit, quid sit DEUS & qualis sit, prohibetq; , & Diris execratur peccata.*

Deut. 28, v. 26.

CVIII.

III. *A creatione hominis, qui ad imaginem DEI conditus: Peccatum autem est non imago DEI: sed Diaboli.*

Gen. 1. v. 26. 27.

CIX.

IV. *A Redemptione generis humani, quæ peragi non potuit, nisi per ipsum unigenitum Filium Dei. Tantoperè videlicet DEUS peccato irascitur!*

Es. 53. 4. Rom. 8. 33.

CX.

V. *A comminationibus pœnarum, pœnisq; eas insecutio, cuiusmodi sunt: diluvium, everfio Sodomæ & Hierosolymæ, rejectio populi Iudaici, &c.*

Gen. 7, & 19. Luc. 19. Rom. 11.

CXI.

Et hætenus dicta & ἀποδείξεις ex scriptura. Quibus ἐκ τῆς ᾠδῆς addimus συγκαταΨηφισμὸς τῶν Philosophorum saniorum extra, tum Patrum Orthodoxorum intra Ecclesiam.

συγκαταΨηφισμοί.

CXII.

Ex sanioribus Philosophis maximè excellit Plato, qui opinionem, qua DEO causa peccati affingitur, è Rep. proscribendam esse docet suadetq; tres ob causas.

s. Philosophorum.

1. 2. τῶν πολιτειῶν.

CXIII.

1. Quia illa impia est, & in DEUM contumeliosa.

2. Quia

CXIV.

2. Quia bonis moribus exitialis & perniciofa.

CXV.

3. Quia multiplici contradictioni obnoxia, adeoq; mon-
strosa.

CXVI.

Patrum Orthodoxorum suffragia in ipsorum scriptis ^{3. Patrum} passim sunt ^{Orthodoxo-} obvia: Insigniora & maximè notatu digna ^{rum.} hæc videntur esse:

Chrysoft. Hom. 3. in Genes.

DEVS nos condidit non ut perdat & supplicijs torqueat: sed ut salvet.

Hieronymus in 19. c. prov.

Stultorum moris est, ut cum peccando viam veritatis deserunt non se errasse fateantur: sed ad culpam conditoris sui reatus originem referant.

August. in conf. Cathol. art. sibi falsò impositorum c. 10.
*Detestanda & abominanda est opinio, DEVM cuiusq; mala acti-
onis & voluntatis autorem esse.*

Prosper. ad c. Gal. 14.

Bonorum DEVS autor est, non malorum.

Fulgentius l. 1. ad Monimum c. 19.

DEVS non potest esse vitiorum, quarum est autor.

CXVII.

Satis etiam de capite quarto: in quo falsa & erronea Ad-
versariorum opinio refutata fuit: Reliquum est, ut sine mo-
ra & intervallo descendamus ad cap. V. & ultimum, in quo
ad eorundum Sophismata breviter respondendum.

CAPUT V.

Responsio ad Sophismata Adversariorum.

CXVIII.

Sunt autem illa duùm generum: Theologica videlicet &
Philosophica. The-

CIX.

Theologica vicissim sunt duplicia: Quibusdam dicta scripturae veram & orthodoxam nostram doctrinam confirmantia elidere & eludere conantur: Quibusdam ex alijs scripturae locis ἐναντιοπαύσει suam ψευδο καὶ παραδοξίαν suffulcire allaborant. Illa ψευδσπυλώσεις: hæc ψευδογαστήματα dici poterunt.

CX.

1. Sophismata prioris generis.
1. distinctiuncula.
Prioris generis sophismata quod attinet: primò utiq; in genere testimoniorum scripturae DEUM ab omni omnino culpa peccati vindicantium nervum incidere conantur, Sophisticis quibusdam distinctiunculis, quarum prima Voluntatis Divinae: in Voluntatem signi & Beneplaciti.

CXI.

Sed hæc distinctio (sensu Calvinistico intellecta) meritò damnatur, & ex Ecclesiae finibus ad extremos usque Garamantas relegatur, ob has sequentes quatuor causas summi ponderis & momenti.

CXII.

1. Quia nullum in tota scriptura habet fundamentum. Quod autem de scriptura auctoritatem non habet: eadem facilitate contemnitur, qua probatur, juxta regulam Hieronymi. In cap. 23. Matthæi.

CXIII.

2. Quia in DEO contradictorias voluntates fingit, quod blasphemum, & à purissimo & simplicissimo illo ENTE longè alienissimum.

CXIV.

3. Quia penitus evacuat promissiones Evangelij, itemq; vim & finem Sacramentorum, quod quid aliud, quàm bipatens ad desperationem porta?

CXV.

4. Quia notam hypocriteas manifestam DEO inurit, id quod vel cogitatu, summe absurdum & impium.

Quis

CXXVII.

Quis autem sit verus ac genuinus Discriminationis illius Scholasticorum sensus & usus: scitè admodum & eruditè ostendit Lutherus in comment. suo in Genesim cap. 6. quem admodum etiam in proxima Disputatione, de prædestinatione, monuimus.

CXXVIII.

SECUNDO distinguunt, (ut videre est in primis apud ^{2. Distinctione} Bez. in Responione ad Acta Colloq. Mompelg. nec non ^{la.} in thes. Piscatoris) inter causam actionis: & efficientem causam vitii.

CXXIX.

Sed hanc vanam & inanem distinctiunculam ipsimet factionis Calvinisticæ socii convellunt & enervant; atque ita propria sua vineta cædunt; dum hæc, quæ jam subjicimus, paradoxa propalam dicuntare & defensitare non erubescunt.

CXXX.

1. DEVM absolutè, sinè omni exceptione boni & mali, omnium omnino rerum causam esse. Testimonia ipsorum propria adduximus suo superiùs loco.

CXXXI.

2. DEUM non tantùm generali actione ad peccatum concurrere: sed speciali etiam actione, quæ in quovis facinore apparet.

Calvinus lib. 2. Inst. c. 4. § 2.

OMITTO HIC UNIVERSALEM DEI MOTIONEM, unde creature omnes, ut susinentur: ita efficaciam quidvis agendi ducunt; De illa SPECIALI ACTIONE tantùm loquor, quæ in unoquoque FACINORE apparet.

CXXXII.

Tertiò duplicem constituunt peccati exercitum, ita ut altera ^{3. Distinctione} ad ipsum peccatum: altera ad DEUM spectet. ^{cula.}

D

111a

CXXIII.

Illud peccatum Impii verè esse peccatum: hac verò mi-
nimè, tum quod DEUS sit exlex, tum quòd peccatum, isto
DEI respectu, bona intentione ad bonum referatur sine m.

Cinglius de provid. c. 5. & 6.

Ietzlerus lib. 5. de fructu mort. Domin.

Calv. in instrua. contra Libert. c. 14.

CXXIV.

Ad utrumque breviter. Ad primum: Etsi DEUS quia
omnium summus verè est $\alpha\iota\omicron>\nu\tau\epsilon\upsilon\delta\iota\omega\theta\varsigma$: nihil tamen $\alpha\iota\omicron>\nu\omicron>\mu\omicron>\nu$
vel $\alpha\iota\tau\iota\nu\omicron>\mu\omicron>\nu$ facit, & designat.

CXXV.

Aliàs enim sequeretur: Ipsum sibi ipsi repugnare,
imò seipsum negare, quod impossibile 1. Tim. 2.

CXXVI.

Sicut nos $\tau\omega\nu\omicron>\mu\omicron>\nu$ vivimus & agimus, quæ sancta
& iusta sunt: ita DEUS $\tau\eta\ \Phi\upsilon\sigma\iota\varsigma$.

CXXVII.

Quædam actiones malæ sunt intrinsecus $\tau\eta\ \Phi\upsilon\sigma\iota\varsigma$, &
non saltem extrinsecus $\tau\omega\nu\omicron>\mu\omicron>\nu$ quas licet exlex sit DEUS,
sine peccato tamen facere non potest.

CXXVIII.

Ad secundum respondet Apostolus Maxima hac
Theologicâ: Non faciendâ sunt mala, ut eveniant bona. Ro-
man. 3.

CXXIX.

Quidque de intentione bona contra mandatum su-
um suscepta DEUS ipsemet iudicet, testatur historia Saulis,
1. Sam. 15.

CXL.

In specie verò ad locum Iacobi 1. Epist. 1. ($\Theta\epsilon\omicron>\varsigma\ \alpha\ \tau\omega\epsilon\iota\mu\alpha\ \tau\omicron>\varsigma\ \epsilon\sigma\iota\ \kappa\alpha\kappa\omega\upsilon$ & similes) afferunt distinctiunculam: inter
tentationem externam quæ à DEO, & internam quæ à concu-
piscencia.

Pe-

Petrus Martyr. in cap. 7. Epist. ad Rom.

Danaus in Orat. Dom. f. 209.

CXLI.

Sed hoc frivolum & putidum est glossema; siquidem
tum *scopo* tum *textui* Apostolico, *ἀντιφαικῶς* repugnat.

CXLII.

Scopo. Quis verò ille? Dehortatio ab errore illo, quo qui
teneatur, se à DEO tentari, & ad peccatū, incitari existimet.

CXLIII.

Textui; in quo quippe non definite & in specie, inter-
na de DEO negatur tentatio: sed *indefinite* & *in genere o-*
mnis tentatio, è qua gignitur peccatum.

CXLIV.

Addè quòd manifesta *antithesi* omnis tentationis
culpa à DEO remouetur, & in solidum in pravam hominis
concupiscentiam transfertur.

CXLV.

Sophismata posterioris generis varia sunt & multiplicia.
Quamvis enim cœlestis veritatis lux oculos adversario-
rum evidenter & potenter feriat: tamen ut aliquam saltem
efficientiæ peccati notam DEO inurant, & glaucoma impe-
ratorum oculis objiciant: Scripturæ loca cumulo ingenti
conglobant, ut si non prosint singula: multa juvent.

I. I.

Sophismata po-
sterioris generis.

D 2

Nos

CXLVI.

Nos tantum potissima proferemus, & in quibus maxime evidens causæ suæ præsidium positum esse sibi persuadent, eaque vel ex ipso textu, vel ex aliis Scripturæ locis ab omni ἀντιλογία vindicabimus.

CXLVII.

1. Allegant adulterium Absolonis, de quo ita blasphemus ille Calvinus:

Absolon incesto coitu Patris torum polluens detestabile scelus perpetrat: DEVS tamen hoc opus suum esse pronunciat. Verba enim sunt: Tu fecisti; occultè ego verò palam faciam, & coram sole hoc. 2. Sam. 12, 12.

1. lib. Inst. c. 18, 81.

CXLIIIX.

Sed res plana est ex c. 1. Sam. 16. ubi adulterium istud non modò describitur: sed quoque ἀφορμή & causa προκαταρκτική illius exprimitur hisce verbis: *Et ait Achitophel ad Absolon: Ingredere ad Concubinas Patris tui, quas dimisit ad custodiendum domum, ut cum audierit omnis Israel quòd fœderis patrem tuum, roborentur tecum manus eorum. Teterunt ERGO Absoloni tabernaculum in Solario, ingressusq; est, &c.*

CXLIX.

Unde meridiano Sole illustrius evadit, quòd facinus istud tribuendum Absoloni ut causæ efficienti proximæ, Achitopheli ut προκαταρκτική. DEO autè, quatenus pœna adulterii à Davide admitti, quam justus hic iudex se suscitaturum super eum, comminatur 1. Sam. 12, 11. dicens: *NB. ITA QVE hæc dicit DOMINVS. Ego suscitabo, super te malum (scilicet culpæ) de domo tua &c.*

CL.

2. Producunt historiam ex 2. Sam. 24, cuius hoc est exordium: *Furor DOMINI incitavit Davidem, ut numeraret populum.*

Sed

CL I.

Sed facilis est hujus difficultatis *Φαινομένης* solutio ex
1. Chron. c. 21. ubi scribitur: *Consurrexit SATANAS*
contra Israel, & incitavit Davidem, ut numeraret Israel.

CL II.

Quatenus *malitia* igitur, factum istud Diabolo; qua-
tenus *pœna* autem, adscribitur DEO ab Israelitis per pec-
cata ad iram commoto.

CL III.

3. Afferunt locum Esaia 8. Luc. 2. Rom. 9, 33. 1. Pet.
2, 8. ubi dicitur *CHRISTUS* *petra scandali, & lapis offendi-*
culi, vel ad ruinam positus.

CL IV.

Hic verò committitur fallacia *accidentis* sicut ipsimet
sectæ Sacramentariæ Antistites Calvinus & Marloratus in
suis commentariis, supra presentem locum 1. Pet. 2. nobiscum
agnoscunt & propalam profitentur.

CL V.

4. Assunt dictum Ela. 63.
Quare errare nos fecisti DOMINE? de viis tuis in-
durare fecisti cor nostrum, &c.

CL VI.

Ubi diligenter attendendus *ιδιωτισμός* Hebrææ linguæ in
Conjugatione Hiphil, in qua significatio verbi, quæ in con-
jugatione Kal activa in *permissivam* mutatur. Et in hac
(quod summâ diligentia observandum) utrumque ver-
bum tum *תעה* aberrare, tum *קשה* quod proprè crudelis vel
horridus fuit hic loci occupatur: *למה תתענו יהוה*

מדרכיה תקשים לבנו

D ;

Confe-



CLVII.

5. Conferunt se ad Ieremiam, & exinde excerpunt illud, quod habetur c. 20.

Seduxisti me DOMINE, & seductus sum

CLVIII.

In quod Hieronymus sic commentatur:

Dicit se Propheta à Domino esse deceptum, quia in principio audiens: Prophetam in gentibus dedi te. Et iterum: Ecce constitui te hodie super gentes & super regna ut evellas & destruas & disperdas & dissipes & aedifices & plantes: arbitratus sit nihil se contra populum Iudeorum: sed contra diversas in circuitu nationes esse dicturum. Unde & Prophetiam libenter assumpsit: & evenisse contraria: ut captivitatem Hierusalem predicans persecutiones & angustias sustineret. Quodq; intulit: Factus sum in derisum tota die: omnes subsannant me: eò quod aestiment illum universè mentitum: & cuncta quae prädixerit, esse ventura, mendacia fuerint. Et Propheta enim statim putaverat futurum, quod Dominus minabatur, & populus aestimabat nequaquam ultra venturum, quod statim non venerat.

CLIX.

Loquitur igitur Propheta non de errore in doctrina κατὰ ἀλήθειαν sed de errore in vocatione sua κατὰ δόξαν.

CLX.

6. Urgent & perurgent dictum Pauli
2. Thessal. 2. DEUS mittet illis operationem erroris, ut credant mendacio.

CLXI.

Quid verò hic agunt? violentum Divisionis παραλογισμὸν committunt turpissimè, idque duplici modo.

CLXI.

1. Subdolè & perfidè omittunt, quòd proximè antecedit, Antichristum, (de quo ibi ex professo disseritur,) venturum

turum

turum *κατ' ἐξέχασιν* (cujus? non DEI:) sed (NB) Diaboli.

CLXIII.

2. Non attendunt, quod sententiæ illi immediatè præmittitur (Conjunctio: (NB) *ἄρα τὸν* PROPTER E A.) Scilicet, quod claritatem Veritatis non receperunt: PROPTER E A. &c.

CLXIV.

Quis hic non videt? pœnam Cœlestis veritatis contemptoribus indici, quæ, iusto DEI judicio, ipsis eventura, propter id ipsum, quod illam recipere noluerunt, seq; Antichristo Romano ad quodvis obsequium manciparunt.

CLXV.

Cætera in ipso Disputationis cursu videbimus. Sufficiant isthæc pro ratione præsentis instituti.

CLVI.

Interim, ut reliquorum Sophismatum solutio eò sit expeditior, sequentes observentur *Distinctiones*, quæ eam ad rem maximè sunt accommodatæ.

Distinctiones in solvendis Sophismatibus Adversariorum observandæ.

CLXVII.

1. Inter *Ortum peccati*: & eius *finem*. Ille à Diabolo & prava hominis voluntate, hic à DEO.

CLXVIII.

2. Inter *Voluntatem DEI antecedentem* & *consequentem*, qua de distinctione proxima disputatione explicatiùs.

3. Inter

CLXIX.

3. Inter causam Peccati effectricem, qualis Diabolus, & homo Impius suggestionibus Diaboli obtemperans, & permissivam ac gubernatricem, quae est DEVS.

CLXX.

4. Inter Malum Culpa & Pœna.

CLXXI.

Quæ distinctio non recens à Scholasticis excogitata: sed à Tertulliano contra Marcionem, à Baillio in Genesin, & ab Augustino in libris contra Pelagianos & alios antiquissimis Ecclesiae scriptoribus tradita & observata: studio, quo fieri potest maximo, notanda est.

CLXXII.

In primis huc facit, locus ille admodum memorabilis Damasceni: lib. 4. ὀρθ. πίστεως c. 20, NB. δυσεμφάτον τὸ τῆς κακίας ὄνομα δύο σημαῖνον πότε μὲν τῇ φύσει κακὸν; δηλοῖ: πότε πρὸς τὴν ἡμετέραν αἰσθησὶν τὸ ἐπίπικτον σημαίνει.

CLXXIII.

Sophismata
Philosophica.

Et tantum de Sophismatis Theologicis: Restant Philosophica, quorum multa, sed ex iis hæc tria saltem reliquorum instar omnium nobis erunt,

CLXXIV.

1. Est Grammaticum

Sermonis proprietates in scriptura dictis summopere observanda & urgenda est.

Atqui

Atqui Scriptura in ijs dictis, quibus Peccatum DEO ad-
scribitur, utitur verbis ἐνεργητικῶν, id est, actionem & operatio-
nem significantibus.

Ergo,

CLXXV.

R. Duplex inest huic argumento fallacia. Prima est à
dicto secundum quid. Respondetur igitur ad Majorem ex
regula usitatâ per hanc limitationem. Sermonis proprietate
urgenda est, quatenus non impingat in articulum fidei.

CLXXVI.

Altera est fallacia ὀρθόσεως. Ad Minorem igitur respon-
dendum per inficiationem hoc modo: Verba activa idio-
tismo Hebrææ linguæ, non semper effectivè sed sæpenumerò et-
iam potentialiter & permissivè usurpantur, ut:

Gal. 5. 4. Item, Ex. 1, 17. Lev. 13, 13. Deut. 20, 16. Ios. 2, 13, & c.
6. 25. Iud. 21, 14. Prov. 17, 15.

CLXXVII.

1. Aliquis dicat Dialecticum, estq; tale:
Quicumq; est causa causa: est etiam causa causati:
Sed DEVS est causa voluntatis, quæ est causa peccati.
Ergo.

CLXXVIII.

R. Est elenchus παρὰ τὸ πᾶν καὶ ἀπλῶς.
Major enim duntaxat valet in rebus per se, & non per accidens
subordinatis. Voluntas verò hominis mala, quatenus mala,
DEO non subordinatur per se: sed per accidens.

CLXXIX.

2. Est Metaphysicum:
Peccata fiunt aut DEO volente, aut nolente,
At nihil potest fieri DEO nolente,
Ergo fiunt DEO volente.

CLXXX.

Gemino vitio istud laborat Sophisma. Primum nascitur
E

ex

ex insufficiente enumeratione partium in Maggiore. Omittitur enim tertium, quod est $\tau\theta$ NON VELLE (Psalm. 5, 5. Esaiæ: 65, 12.) vel PERMITTERE.

CLXXI.

Alterum oritur ex $\delta\mu\omega\nu\mu\iota\alpha$ & NOLLE in Minore, quod duplex: Negativum, & Positivum. Non hoc semper, id est positivè: sed illo, id est negativè NON VULT DEVS peccatum.

III.

Conclusio Disputationis.

LXXII.

Ad umbilicum itaq; & huius Problematis perducta Explicatione: jam concludimus:

DEVS nullo modo: Diabolus autem & prava hominis Voluntas, suo quodq; modo, Causa est Peccati efficaciter illud operans procreansq;.

επισημασθη
E

ο εδδ δεζου.

LXXIII.

1. DEUM igitur eò ardentius amemus, eò devotius colamus, eò confidentius opem eius exposcamus.

LXXIV.

2. Diabolum contra eò acerbius odio habeamus, technas & fraudes ejus eò studiosius caveamus.

LXXV.

3. Affectus vero nostros eò fortius coerceamus, omnes peccandi occasiones eò curiosius fugiamus.

LXXVI.

Vobis autem Viri Calvinistæ, vestrisq; $\sigma\upsilon\sigma\pi\alpha\tau\acute{\iota}\omega\tau\alpha\iota\varsigma$ Libertinis, hoc $\omega\epsilon\theta\delta\eta\chi\eta\varsigma$ $\mu\acute{\epsilon}\rho\theta$, ex thesauro Patris vestri Calvinii, strenulæ loco, offerimus:

Qui dicit DEVM esse autorem peccati: transformat DEVM

VM in Diabolum (Calv. in Instructi. contra Libert. c. 14.)
Sed Calviniani, eorumq; contribules Libertini hoc faciunt.

Ergo.

LXXXVII.

Quod reliquum est: *Te ô ter-optime DEVS, qui fons es
omnis bonitatis, oramus, ut & in nos rivulos bonitatis tuæ effun-
das, neq; permittas, ut Satanae & Carnis nostræ instinctu in peccæ-
ta contra conscientiam prolabamur, inq; ijs pereamus.*

Tibi sit laus honor & benedictio seculis infinitis,

AMEN.



Mundi anima est Pietas. animam rape; corpora durent?

At scelus eradens Pietatem, exiscerat Orbem:

Quin Orbem exanimat: quinimò Orbe exsistit Orbem!

Verùm audi, quid Bapta meus. Mens provida rerum:

Eventus seriem, sortisq; volumina nostra

Nexu caussarum violento scripsit in astris.

Subjicit hæc duris me conspiratio fatis.

Si domina genuit Veneris me stella salacem;

Compositum Iovis, Euripum vaga Delia, furem

Mercurius, Mavors crudelem: currere cogor

Fatale stadium, quod me fert linea Circi:

Nec potis hoc ullus me solvere fune Prometheus.

Heu vocem inspidam & nimia rationis egentem!

Nota matrematicis genesis tua, credo: nec index

De nihilo mensura poli est, visq; influa proni

Sideris. At tibi ne sapidi mens saga Lycæi

Plus æquo sapiat; Stoi vel barba magistri.

Vidit, non sanxit; dixit, non fixit in astris

Eventura Deus: non fas sit ut ista resigi.

Arbitrij in multis sunt libera munia nostri.

At sic me sevit genitor; sic hunc avus; illum

Sic proavus: gerimus contractam ab origine labem:

Perfacile est dictu; Hoc fac, & hoc fac; & illud omiste:

Sed

5. Sed facere hoc atq; hoc; atq; illud omittere; durum est.

Sape quidem Pietas sacro mea pectora thyrso
Percutit; & frugem vite suspiro beata:
At vaser impostor Satanas me indagat, & aspera
Excutit arrepta caelestia semina lucis.
Sic ad damnatos mores natura recurrit,
Et sibi peccandi finem non invenit ullum.

Ridiculus valde est recidivâ mole per Orcum
Sisyphus. Haud nocuum tamen est rerum alta percussu
Successu semel atq; iterum frustrante relabi.
Tu, qui prociua culmen Pietatis anhelas,
Desperes, primo si non successerit actu?
Vsq; redi, & Satanae fastus adnitere contra.
Si novies frustra es; decies conare. tenaceis
Propositi motus Mens roborat illa: nec unquam
Deseret eventus conatus rite secundus.

OB amicitiam & necessitudinem, quæ
mihi cum Respondente, Poëta ingeniosiss.
& eruditissimo, intercedit; & quia argu-
mento Disputationis aliquâ affine, hoc fra-
gmentum è Poëmati nunc olim editis, huc
etiam conscribi passus sum

TAUBMANUS.

Errata sic corrigito

Thef. 12. p. 2. r. v. lege *errata*. Thef. 11. p. genuino l. genuino

F I N I S.

05 A 713

ULB Halle
003 762 351


3



V077







B.I.G.

Farbkarte #13



D. O. M. A.

Exercitationum Theologicarum
DISPUTATIO VII.

In qua

VI. Problema Theologicum, idq;

CAUSA PECCATI

*trutinam Veritatis Cœlestis expendendum
exhibetur,*

Academyta Academia VVitebergensi,

Auctore & Praside

ANNE FÖRSTERO,
S. Theol. D. & Prof. Publ.

Respondentis tenente & tuente

HENRICO - JULIO STRUBIO

Henricopolitano Sax. Poëtâ Laur.

Ad diem 21. Ian. horis locoq; consuetis

Pfalm. V.

לֹא אֱלֹהִים חָסַף רִשְׁעֵי אֲתוּלָהּ יַגְדֵּף בָּ

VVITTEBERGÆ

apud Cratonianis, per Iohan. Gorman.

Anno M. DC. IX.

